

2. Reg. 13.

Abulen.

Commenda-  
tio secreti si-  
mulatio ad  
illius mani-  
festationem.

19.  
Theophyl.  
Carthuf.

Magnorum  
consilia oc-  
cultanda.

Valer. Max.

20.  
Exod. 30.

Magna Dei  
negotia in oc-  
culto Deo  
agit.

Exod. 10.  
Nylfen.

21.  
Cant. 1.  
Ambros.  
Septuag.

Cognitio Di-  
uinorum ab-  
sccondenda.

*favor tace, frater tuus est, nec affligas cor tuum pro hac re, 2. Regum 13. num. 20. Dixit ei: tace, quia ut explicat Abulenſis quaest. 7. Conſolabatur Thamar, quia indicibilis erat planctus eius. Tamen statim ſubdit textus: Cum autem audisset rex verba haec: filiam suam Thamar violatam. Contristatus est valde. Quare tamen a quoniam tantum crimen filiae suae audivit David? quomodo rem sciuit? Nam Amnon cum esset reus criminis delictum non publicavit? Absalon rei secretum commenda- vit, ac proinde non divulgavit; Thamar ergo rem propalavit, sed nonne secretum eius Absalon maxime rogavit? Tace soror. Quomodo ipsa manifestat? Fortè quia secretum rogavit, inde ipsa prouocata altiore vocem edidit, magnam- que clamorem excitavit, & totam rem apertissime declaravit.*

*Octauo. Theophylactus ad illa verba: Filius hominis tradetur. sic ait: Secretum erat mysterium, quod solis familiaribus reuelandum erat. Similiter Dionysius Carthusianus & alij. Ad quid priuati- m separat Dominus suos discipulos a turbis? vt eos de cruce, ac passione sua moneat, vt hoc factò instruantur consilia magnatum rerum, non euul- ganda, sed occultanda esse. Nam vt ait Valerius Maxim. lib. 11. cap. 11. Taciturnitas optimam atque tuisſimum rerum administrandarum vinculum.*

*Mandauit Deus Moyſi: Pones altare contra velum, quod ante arcam pendet testimoniij, Exod. 30. num. 7. & postea ſubditur: Deprecabitur Aaron super cornua eius, semel per annum, quod oblatum est pro peccato, ibidem num. 10. Agebat Pontifex in hac deprecatione de re sua domestica, de bono- que communi ciuitatis, ac regni, & gentis suae; sed quid est quod Deus volebat, Pontificem has deprecationes facere obiecto expando velo, ne à populo videretur? Videbatur enim conuenientius, quod populus suum inspiceret, ac audiret Sacer- dotem, vt ex eius affectu incitaretur ad similes obsecrationes diffundendas? Pertraſtabat Sacer- dos cum Deo negotia, siue priuata, siue publica, ordinat diuina Sapiencia, vt velo obtegatur, ne diuinae dispositiones, ac consilia, quae Pontifici manifestabantur, cum eo- que agebantur, popula- ribus essent aperta, & nota. Sicque Deus se habet cum Moyſe in Hebraeorum castris; vocat Deus Moyſem ad cacumen montis. Ecce nubes circum- fusa caligine, ac nebula, in quam ingreditur Moy- ses, Exod. 20. num. 21. D. Gregorius Nyſſenus lib. de vita Moyſis: Eligitur vnus, ait, è multis rerum diuinarum capax. Non enim omnes sunt capaces, sed vnus è multis eligitur.*

*De suo diuino Sponſo ait anima sancta: Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus, lectulus noster floridus, Cant. 1. num. 15. D. Ambrosius ferm. 4. in Psalm. 118. legit: Acclimatio nostra opaca. Septua- ginta: Speciosus ad cubile nostrum vmbrosus. Si tam speciosus, ac pulcher est sponſus in suis operibus, ac mirabilibus, cur anima sancta inuitat eum, ipsū- que vult habere in lectulo, seu accubitu opaco, vmbroso, ac occulto: cur non potius in pa- tenti, & manifesto, vt omnes elegantiam sponſi ipsiusque fauores erga eam videant: Optime scie- bat anima sancta, quod ille cui communicata est cognitio pulchritudinis, ac elegantiae mirabilium diuini Sponſi, ipsam non debet in publicum euul- gare, sed in opaco, ac occulto cordis sui intimè clausa retinere, ac abscondere, & tanquam sub opaco, ac vmbroso abscondere. Citatus D. Am- brosius: Laudat, ait, sponſi decorem Ecclesia, quem-*

*plus vnusquisque tacito laudat affectu, & fidus my- steriorum interpres tacendo plus praedicat. Nam qui arcana diuulgat, imminuit Christi decorem.*

*Hinc vt etiam ad humana descendamus cum magna obſidione teneretur Ierosolyma ab Assyriis ventum est ad pacti conditiones. Tunc Rab- faces praefectus militiae Assyriorum loquitur vul- gari, ac Hebraea lingua cum Eliacim sacerdotem stante super murum. Cui Sacerdos ait: Loquere ad seruos tuos Syra lingua, intelligimus enim: ne loquaris ad nos Iudaice, in auribus populi, qui est super mu- rum, Isai. 36. num. 11. Lyran. ibi: Loquere Syra lingua qua non erat intelligibilis populo communi: & erat petitio rationabilis, quia talis irascitatus debet esse secretus. Magni enim ponderis consilia ab excel- lentioribus viris definienda sunt; non autem vul- garibus manifestanda; obsecrat ergo Sacerdos vt eo idiomate vtatur, quod non ab his, sed ab illis tantum intelligatur.*

QUESTIO III.

Quare Christus hic praedixit discipulis mor- tem, passionem, ac resurrectionem suam?

**R**ESPONDET primò D. Chrysostomus in Im- perfecto homil. 35. Ideo, ait, praedixit eis fu- turum, vt ab exitu cognoscatur praescientia eius: ex praescientia autem eius diuinitas intelligatur. Et post- ea subdit: Videte, quia voluntarie vado ad mortem. Cum ergo venerit tenebrarum potestas, cum videritis me in cruce pendentem, ne aestimetis me hominem esse tantum. Nam & si posse mori hominis est: tamen, velle mori non hominis est. Praedixit Dominus pas- sionem suam discipulis, vt ostendat illum sponte sua, ac liberè mortem, & crucem subire. Iuxta il- lud Isaiæ 53. num. 57. Oblatus est, quia ipse voluit. Et iuxta illud: Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam, Ioan. 10. num. 7. Ita etiam docent communiter D. Hieronymus, N. D. Cyrillus, D. Paschas. Theo- phylactus, qui in cap. 10. Marc. ait: Nam qui praenouit, & effugerè potest, & non fugit: manifestum est, quod voluntarie se passionibus exponat.

*Secundò. Vt ait Chrysostomus: Vt ex praescien- tia eius diuinitas intelligatur. Vt ex hac praedictio- ne diuinitas eius intelligatur, cum nota sint ei omnia futura, & quae passurus erat. Nota diuini- tatis futura scire. Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dii estis vos, Isai. 41. n. 23. Vnde Christus praedicens traditionem Iudae, sub- dit: Amodo dico vobis, priusquam fiat, vt cum fa- ctum fuerit, credatis, quia ego sum, Ioan. 13. num. 19. Quia ego sum, qui sum, verus nempe Deus.*

*Tertiò. Theophylactus in cap. 10. Marc. Predi- cit, ait, Dominus discipulis euentura, vt mentes eo- rum prepararet, quo prius audita facilius ferant, & non repente percillantur animo. Praedicit Dominus suam passionem, prauiſa enim minus ferunt; nam omnis aduersitas, quae subito venit, nimis grauis est, quam vero praenoscimus, & expectamus, le- uior inuenitur.*

*Quartò. D. Chrysostomus homil. 66. in Matth. Hac praedicit, ait, vt cum tristitia venisse viderim, certiore spe resurrectionem expectarent. Voluit Do- minus suos armare, ac praemunire, ne passionis tempestate fluctuaret, ideo eis praedicit, vt eum comprehensum, fixumque; cruci cerneret discipuli, certa*

22.

Isai. 36.  
Lyran.

Secretum ab-  
sccondendum  
à populo.

23.

Chrylost.

Christus vo-  
luntarie ob-  
latus morti.

Isai. 53.  
Ioan. 10.

Hieron.  
Cyrill.  
Paschas.  
Theophyl.

24.

Chrylost.  
Deum ostendit  
ex futu-  
rorum praedi-  
ctione.

Isai. 41.

Ioan. 13.

26.

Theophyl.

25.

Chrylost.

Chryso.

27.

Isaac Abbas.  
Ascensus cae-  
lestis patri-  
ae multo  
labore.

28.

Matth. 16.  
Christi passio  
memoria re-  
tinenda.

29.

Luc. 19.

Marc. 11.

Corona regni  
parit dolores.

30.  
Apocal. 12.

Arabicus.

Corona regni  
secum habet  
gemitus, &  
dolores pro  
subditis.

Hugo.

*certa spe crederent eum resurrecturum, amarissi- mam Domini passionem maxime gloria resurre- ctionis dulcorauit. D. Chrysologus ferm. 118. Res- sonet, ait, in ore nostro resurrectio, ad nostra mentis transmittatur auditum: vt mors, quae nostros semper obſidet sensus cum terrore suo, cum lamentis suis à nostris sensibus effugetur. Vt totam mortis possit cal- care formidinem.*

*Quintò. Isaac Abbas homil. 1. apud Tiltman. Ad pacis visionem properantibus (hoc enim Hiero- solyma) tradendus est filius hominis. Cum propo- nitur ascensus ad Ierosolymam, hoc est, ad pacis visionem, ac caelestem patriam designatam, sta- tim filius hominis sub flagellis, sub morte, ac cruce demonstratur. Semper enim caelestis ciui- tatis ascensus cum multo hominis externi dis- pendio, ac laborum pretio assequitur, & obti- netur.*

*Sextò. Multoties Christus Dominus suis disci- pulis praedixit mortem, & passionem suam, vt in praesenti. Et Matth. 16. num. 21. & 17. num. 21. & 26. num. 24. & saepe; vt eximius eius amor, singularisque eius benignitas, quae pro nobis tot pertulit, alte esset fixa, & impressa in mente di- scipulorum, & vt tantae eius charitatis iugis in nobis memoria permaneret; Diuinum Eucharis- tiae sacramentum instituit tanquam suae factatis- simae passionis memoriale perenne.*

*Septimò. Ascendebat Iesus Ierusalem, vbi glo- rioso triumpho, ac magno applausu excipiendus erat à populo, acclamandusque Rex: Benedictus qui venit rex in nomine Domini, Luc. 19. num. 38. Benedictum, quod venit regnum Patris nostri David, Marc. 11. num. 10. Cum ergo Dominus pergat, ac ascendit ad hunc magnificum triumphum, suam mortem, ac passionem praedixit, vt cunctos mo- ſteat regale purpuram, regiumque principis ap- plausum secum habere annexum pro suis pati, ac mori, corona enim patturitur gemitus, & dolores pro suis, pro illorumque salute proprii sanguinis effusione.*

*Apparet in Apocal. 12. num. 1. Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. Deinde subditur: Cla- mabat parturiens, & cruciabat, vt pareret. Ara- bicus habet: Et dolens cruciabat, vt pareret. Res sanè multum mirabilis. Valde magnifico re- gio apparatu se ostentat mulier ex luna, purpura ex sole, corona ex stellis confecta; ad quid ten- dit tam regalis magnificentia? Videbatur ex illa consequens, quod ex tanto ornatu mulier festiuè gauderet, ac exultaret, ac multis oblectationibus recrearetur, magnoque imperio cuncta regeret, ac imperaret. Minimè haec videntur, sed potius oppolita ostenduntur. Mulier praè angustia cla- mat, ac multis doloribus angitur: Clamabat parturiens, & cruciabat, vt pareret. Deindeque durissimo bello contra eam draco insurgit: Ecce draco magnus, & rufus, habens capita septem, & cornua decem stetit ante mulierem. Quis ex tanto apparatu, ac ornatu tot gemitus, dolores, ac bel- la speraret? Mulier apparebat in caelo: Signum magnum apparuit in caelo. Vt caelestis regina, ac è caelo data non oblectationes, & laetitias, sed gemitus, dolores, ac bella parturiret, vt filios, & subditos haberet, purpuraeque cruciatibus repleta erat, vt filiorum, seu subditorum prole circun- daretur. Fauet Hugo Victorinus: Mulier, ait, amicta sole habens coronam stellarum duodecim,*

*parturiens in doloribus suis, antiqua est Ecclesia pa- trum, quae gemitus, & tormenta habuit, vsquequo fructum ex plebe sua videret Christum.*

*In nomine Iesu salutem, ac pacem dat Ioan- nes suis discipulis: In nomine Iesu Christi, qui est, ait, primogenitus mortuorum, princeps regum terra, Apocal. 1. num. 5. Cum dicatur Princeps, ac Rex regum terrae, & Dominus dominantium. Subiun- git: Et lauit nos in sanguine suo; pro nobis scilicet moriens, vt est communis vox interpretum. Cur potius non ait: Princeps regum terrae, & imperat, pom- paticeque cum suorum turba incedit? Sed lauit nos in sanguine suo. Et si princeps tam amplus, ac magnificus; vbi corona, vbi purpura, vbi sceptrum? Vbinam huius potentissimi regis stem- ma. Lauit nos in sanguine suo. Huius diuini regis imperium non visitur, ac ostenditur turba popu- lorum, sceptro, vel corona aurea lapidibus pre- tiosis intexta, sed cum proprii sanguinis effusio- ne suos purificat, & mundat. Optimi enim prin- cipis nota est pro suis pati, & mori. Huc aduoco id quod eleganter dixit Tertullian. lib. 3. contra Marcion. explicans illud Isai. 9. Factus est princi- patus super humerum eius. Sic ait: Quis regem in- siene potestatis sua humero praefert, non aut capite, diadema, aut manu sceptrum? Solus novus Rex Christus, nouae gloria potestatem humero exiulit crucem. Vide supra cap. 19. num. 72. 73. 74. & 35. num. 47. & 48. Vide multa tom. 1. 2. & 3. verb. Pralatus.*

QUESTIO IV.

Quare discipuli, qui saepe Dominum, de sua morte audierant differentem, ta- men nunc dicitur, quod nihil eorum intellexerunt?

**M**ULTOTIES Christus Dominus de sua mor- te, & passione sermonem habuit cum suis discipulis, Matth. 16. num. 21. Post Petri confes- sionem subdit Euangelista, quod Iesus dixit disci- pulis suis, Quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Pe- trus autem, quia intellexit coepit eum increpare: Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Iterum etiam Matth. 17. num. 21. Marc. 9. n. 30. Conuersantibus (ait D. Matthaeus) eis in Galilea, dixit illis Iesus, Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer. Ex eorum ergo moerore colligitur eos verba Christi intellexisse. Tamen nunc in praesenti ait D. Marcus citato cap. 9. num. 31. ex- pressè: At illi ignorabant verbum, & timebant interrogare eum. Et D. Lucas ait: Ipsi nihil eorum intellexerunt. Ad hanc difficultatem

*Respondet primò. Beda in hoc cap. 18. Luc. Cuius vitam, ait, maxime videre desiderabant discipuli, eius mortem audire non poterant, quem non solum hominem innocentem, sed & Deum ve- rum sciebant, hunc nullatenus mori, vel posse puta- bant. Et quia per parabolas eum saepe loquentem, audire consueuerant, quoties aliquid de sua passione dicebat, hoc non ita, vt sonabat intelligendum, sed amore distante, ad aliud quid allegorice referendum esse.*

31.  
Apocal. 1.

Optimi regis  
nota pro suis  
pati, & mori.

Isai. 9.  
Tertull.

32.

Matth. 16.

Matth. 17.

33.  
Beda.



Glossa. Lyran. Cajetan. Carthus. Hugo.

34. Ianfen. Maldon. Tolet.

Mysterium amoris Christi absconditum.

Matth. 16.

35. Aymon.

Ioan. 12.

Quæ quis corde cogitat, etiam in umbra agnoscit.

esse credebant. Idem docent Glossa ordinaria, Lyran. Caietan. Carthusian. Hugo, & alij. Non intellexerunt Apostoli, quæ à Christo dicebantur de sua morte, & passione, tum quia Christum summè diligebant, eiusque vitam maximè desiderabant, ac proinde verba de sua morte corda eorum non intraverant. Deinde etiam quia sapè Dominum in parabolis loquentem audierant, & ideo sibi persuadebant quod etiam nunc allegoricè, ac parabolicè loquebatur; & sic sensum rei non attingebant.

Communis tamen sententia est, quam docent Ianfen. in sua concordia cap. 69. Maldonatus, Toletus in cap. 9. Luc. Bartadas, tom. 3. lib. 6. cap. 9. §. Crediderim, Lucas, Burgenf. in cap. 9. Marc. Cornel. à Lapide in cap. 9. Luc. Apostoli verba Christi quoad corticem literæ intellexerunt, ac proinde agnoverunt verba Christi significare amarum mortem, & crucem. Ignorabant tamen modum, causam, finem, ac utilitatem mortis Christi, eorum enim mentem non intrabat, quomodo ille, quem verum Deum esse credebant, qui tot, tantisque miraculis effulgebat, morti traderetur, non enim intelligebant mysterium passionis Christi, ac Sacramentum eius amoris, quomodo ex sua immensa charitate pro redemptione generis humani offerendus esset in ara Crucis. Ac proinde significationem verborum Christi sunt assequuti de morte, & passione Christi, & quod ipse non fuerit parabolicè loquutus, probat discipulorum tristitia: *Contristati sunt vehementer*; probat etiam D. Petrus, quia verba non parabolicè, ac allegoricè intellexit, sed germane; ideo cœpit eum increpare: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*. Quod autem non intellexerint mysterium passionis Christi probant ea, quæ Dominus dixit Petro: *Non sapis ea*, hoc est, non intelligis, *quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum*, Matth. 16. num. 23. Probat etiam ea, quæ D. Lucas scribit in præsentia: *Et erat verbum istud absconditum ab eis*. Nempe mysterium amoris, ac passionis Christi erat absconditum.

Tertiò & moraliter. Aymon homil. in Quinquag. sic ait: *Iudei iam conspirauerant in necem Domini, & decreuerant in corde, ut interficerent eum in cruce: ideo quotiescumque Dominus loquebatur eis de sua morte, facile intelligebant, quia hoc loquebatur, quod illi corde cogitabant. Discipuli autem credebant eum verum Deum esse, & verum Filium Dei: & in tantum diligebant eum, & credebant verum Deum esse, ut non putarent eum omnino posse mori. Facit prædictus Auctor combinationem in his verbis Luc. Ipsi nihil eorum intellexerunt, cum illis, in quibus multum obscure prædixit Dominus suam passionem: Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Ad quæ verba statim Iudæi valdè perspicaces responderunt: Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum, quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Ioan. 12. num. 34. Cur ergo discipuli valdè exercitati in schola Domini, eius mortem verbis clarissimis demonstratam non percipiunt, quam tamen Iudæi sub obscurissimis verbis introspiciunt; erantne hi acutiori intellectu præditi: Minimè, sed valdè turpi, & nequissimi, & quia ipsi frequentissimè mortem Domini animo recogitabant; ideo illius mortem, & passionem sub umbra, ac densitate verborum callent, ac præsentiant; discipuli cum mente essent valdè alieni à Domini interitu, etiam sub clara luce verborum*

minimè illum capiunt, quem tamen facillimè Iudæi ex sua frequenti recogitatione olent, & præsentiant.

Fecit Iacob tunicam polymitam, seu talarem filio suo Ioseph: *Videntes autem fratres eius quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum: Accidit quoque, ut visum somnium referret fratribus suis, quæ causa maioris odij seminarium fuit*, Gen. 37. num. 45. Narravit eis quod per somnium videret solem, lunam, & stellas, eum adorare; & iterum eorum manipulos circumstantes adorare manipulum suum. Ex quo suspicantur ipsum principem, & regem eorum futurum; vnde dicebant: *Eccce somniator venit*, id est, qui se dicit Principem, & Dominum nostrum per somnia, vt explicat Cornelius à Lapide. Vnde ira, & odio armati, ipsam vendiderunt in Ægyptum. Confer hæc cum his, quæ acciderunt Dauid; nam reprobatis fratribus suis maioribus: *Samuel vnxit eum in medio fratrum eius*; in regem scilicet, 1. Reg. 16. num. 14. Et tamen vt tenet Cardinal. Caiet. *Frater Dauidus, ait, quamvis præsentis vnctioni, nescierunt ad quid vngeretur; nec forte patri manifestatum est, quod vngeretur in regem*. Res valdè mirata, filij Iacob ex umbra, ac somnio ita certo sibi persuadent fratrem Ioseph eorum futurum principem, & filij Isai videntes fratrem suum à sancto Propheta vngi in regem, & fortè clarissimis, ac apertissimis verbis, vt factum est cum Saule, hoc non deprehendunt. Vnde in illis tanta perspicacia; in his verò tanta mentis obturatio? Fratres Ioseph ex tunica, ac amore patris erga eum ipsum eis præferendum frequenter mente voluebant. At verò fratres Dauidis habebant ipsum vt puerum parvulum pascentem oves, & ideo, vt ait Abulenf. cap. 16. citato: *Pater inter ceteros fratres non presentabat, tanquam quod de eo non suspicaretur, quod eligendus esset, sed velut nihil curans in pascuis reliquerat*. Indèque cum fratres Ioseph cogitarent ipsum esse illis præferendum, inde Ieiui umbra, ac somnio hoc firmiter credunt, & statuunt. At fratres Dauid, cum ipsum in parua, & contemptibili æstimatione reputarent, etiam videntes vnctionem à manu Prophete, ipsum Principem futurum non recogitant, & suspicantur. Quàm firmiter adherent homines suis apprehensionibus, si magnum cogitant, leuis umbra est demonstratio, si verò mens est in oppositum, nullo etiam cœlesti signo acquiescunt, ac sibi persuadent.

Matth. 10. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans, & petens aliquid ab eo.

Num. 21. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.

VERSIONES.

Syriacus. Tunc adit mater filiorum Zabdæi ipsa, & filij eius, & adoravit eum, & petebat ab eo aliquid.

36. Gen. 37.

Cornel.

1. Reg. 16.

Caietan.

Abulenf.

Suis apprehensionibus vehementer homines adherent.

Maldon.

Maldon. ex. Inclinans se, aut genua flectens.

Grac. Ait illi: Iube, vt sedeant hi duo filij mei, vnus tibi à dextera, & alter à sinistra in regno tuo

Pagninus. Vnus à dextris tuis, & vnus à sinistris in regno tuo.

ALTER TEXTVS.

Marc. 10. Et accedunt ad eum Iacobus, & Ioannes filij Zebedæi, dicentes: Magister, volumus, vt quodcumque petierimus, facias nobis.

Num. 36. At ille dixit eis: Quid vultis, vt faciam vobis?

Num. 37. Et dixerunt: Da nobis, vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua.

EXPOSITIO II.



VNC accessit ad eum mater. D. Marcus scribit, quod accesserunt ad eum Iacobus, & Ioannes nulla facta mentione de matre. Vnde Euthymius ait has esse veluti duas historias. Primò quod accesserunt, illi duo Apostoli, vt scribit Marcus. Verum cum repalsam haberent in sua petitione ad supplicationem affluunt matrem, quæ accessit ad Dominum, vt scribit D. Matthæus; sed re vera vnica est historia, Mater enim venit, vt narrat D. Matthæus inducta, & sollicitata à filiis, vt docent D. Chrysof. hom. 66. D. Paschal. lib. 9. Albert. Magn. D. Thomas, & ideo filij dicuntur loquuti iuxta D. Marcum, per Matrem nempe.

Tunc accessit ad Iesum. In eo nempe itinere, quando Christus loquebatur de sua morte passione, ac resurrectione: Accessit. Quia etiam multæ mulieres Dominum sequerentur Luc. 8. n. 2. tamen vt explicat Chrysof. in Imperfecto hom. 35. Longo intervallo de longe mulieres erant sequentes, & longo intervallo separatim inter se ambulabant, Christus enim, & discipuli sui primi, sequentes autem de longe mulieres. Puritatis, & castitatis Magister longo intervallo, habebat mulieres separatas à se, ac à suis discipulis, pro nostro documento, vt nos doceret earum consortium fugere: Accessit. Albertus Magn. affectu familiaritatis, & sanguinis. Et sicut filij relicto parente Dominum sequebantur, sic & mulier hæc relicto marito Christum sequebatur, vt ait citatus Chrysof. qui subdit: *Qualis radix, talia, & germia; & qualis terra, talis & fructus*. Mater deuota, filij & deuoti. Mater filiorum Zebedæi, nomine Salome. Sic eam nominat Marcus cap. 15. n. 40. quam Matth. cap. 27. num. 56. dicit matrem filiorum Zebedæi. Salome, vt ait Hugo, interpretatur pacifica, filios enim pacis genuit. Notanter dicuntur filij Zebedæi, vt aduertunt D. Paschal. lib. 9. & Abulenf. Nam relicto parte Zebedæo in nauì sequuti sunt Christum, Matth. 4. num. 21. & tamen modo in schola Christi primas sedes ambiunt; sic sapè contigit, quod illi, qui mundum reliquerunt, in Christi claustro multi primatum querunt; vel fortè, vt etiam docent proximè citati. Chrysof. in Imperfecto, & D. Paschal. hoc triennis prædicationis Christi, eorum pater Zebedæus mortuus est; ac proinde cum dicuntur filij Zebedæi, idem hominis defuncti, ac mulieris viduæ, & tales filij valdè litentiosè appetitu suo mouentur, ac trahuntur. Dicitur mater filiorum Zebedæi, quia à Zebedæo marito valdè nota erat in Euangelio, vt obferuat Abulenf. Adorans. Inclinando se, & genua flectendo, vt ex Græco colligitur: *Petens*; per os nempe filiorum. De quo quæst. 8. D. Marcus scribit, quod filij accedentes dixerunt: *Magister volumus*. Cum propriam voluntatem ostendunt, statim erant: *aliquid* in communi, ac in confuso. Dicunt *aliquid* cum primas regni sedes postulent, semper procurantes rem aliquam, eam paruum iudicant, vel paruum dicunt, vt facilius impetrent. Bethsabæe cum postularet pro Adonia, ait filio Salomoni: *Petitionem vniam parvulam ergo deprecor à te*, 3. Reg. 2. num. 20. Quod adeo magnum erat, vt ei dixerit Salomon: *Postula ei, & regnum*. Id quod parvulum dicebat toto regno æquiualebat. Vel id quod homo postular, & accipit, aliquid nominat, ne se pro illo multum exoluere astrictum declaret.

37.

Euthym.

Chrysof. Paschal. Alb. Magn. D. Thom.

38.

Luc. 8.

Chrysof. Consortium mulierum fugiendum.

Alb. Magn.

Marc. 15. Matth. 17. Hugo.

Paschal. Abulenf. March. 4. Chrysof. Abulenf. 39. Vbi propria voluntas, ibi error. Postulans semper iudicatur paruum petere. 3. Reg. 2.

Qui dixit ei: Quid vis? D. Chrysof. in Imperfecto: *Non interrogat, ait, quasi nesciens, sed vt illa exponente manifestam faceret irrationalem esse petitionem*. Maximè expedit ad medellam, vt vulnus patefiat, & in scientia declaretur: *Quid vis?* Interrogat, vt explicet id, quod vult, vt nos doceat valdè alienum esse à prudentia id quod nescitur concedere. Vnde maximè stultus fuit Herodes, qui Herodiadi cum iuramento pollicitus esset ei, quodcumque postularet ab eo, Matth. 14. n. 7. *Ait illi, Dic*; hoc est, iube, decerne. Agnoscebat mulier vim, efficaciam, ac veritatem verborum Christi, fat enim erat, quod ipse imperasset, vt factum, ac firmum esset. *Vt sedeant, ait duo filij mei*. Mulier à filiis instructa alludit ad promissionem paulo ante duodecim Apostolis factam: *Cum sederit filius hominis, sedebitis & vos*, Matth. 19. num. 28. Vt notarunt D. Chrysof. Theophyl. Euthym. D. Paschal. & alij: *Vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram*. Petiuit mulier eos fieri Christo propinquiores loco, & consequenter, vt ait Abulenf. petiuit eos ceteris maiores fieri in regno tuo. Existimabant Apostoli, quod regnum Dei confestim manifestaretur, Luc. 19. n. 11. Qualem existimabant Christi regnum? Cælestè, ac spirituale intelligebant, vt vult Imperfect. homil. 35. Cui opinioni fauet D. Thomas. At regnum temporale huius vitæ eos intendisse docent D. Chrysof. 66. D. Paschal. lib. 9. in Matth. hic Theophyl. Albert. Magn. Carthuf. Abulenf. fatis latè quæst. 67. putabant regnum Christi esse in ianuis, ac proinde quod illico regnatura esset, quod de temporali regno intelligebant Iudæi.

40. Chrysof. Prudentia non concedere, nisi rem agnitam.

Matth. 14.

Matth. 19. Chrysof. Theophyl. Euthym. Paschal.

Luc. 19. Quale regnum? Imperfect. D. Thom. Chrysof. Paschal. Theophyl. Alb. Carthuf. Abulenf.

\* \* \*